

Miserere super turbam, & ex Græco legitur. Evisceror; ut Hispanè dicatur De Zetr anème por le harzer bien.

217. Cum Christus oraret ad Patrem in Horto, dicebat: Pater si possibile est transeat à me calix iste, Matth. 26. n. 39. Et in quo interveniebat impossibilitas ut ille Calix transfret & Christus illum non biberet, D. Paschasius ibi ait: Quia impossibilitas ista de justitia venit, & bonitate Dei, quia sic est omnipotens, ut justus sit, ac bonus, & misericors, & ideo quantum ad utramque naturam spectat impossibile erat, ne nos bonitate sua, suaque justitia, & misericordia salvaret. Ista impossibilitas ab ipsa infinita bonitate ac misericordia Dei provenit; quia supposita nostra miseria valde alienum erat ab eo ut nõ subveniret, atque salvaret, & ideo posito decreto humanæ salutis necessario erat implendum. Impossibile erat, ne nos bonitate sua, suaque justitia & misericordia salvaret.

218. Et hanc suam bonitatem qua nos benedixit, ac benefecit, ipse per se solum absque alicujus interventu præstat, & exhibet, Deuteronom. 27. n. 25. In monte hebal erant sex tribus legis transgressoribus maledicentibus, sic clamabant: Maledictus homo, qui facit sculptile, & consularile: & respondit debet omnis populus, Amen. Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem suam, & dicit omnis populus, Amen. Et sic in multis aliis maledictionibus profecit, & Populus respondens, Amen. At verò in benedictionibus valde diverso modo se res habet, & dicitur, Deut. 28. n. 3. Benedictus tu in Civitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, &c. ecce grande dubium; In qualibet maledictione totus populus prompto animo dicit Amen, nec in una benedictione est qui dicat Amen. Maledictiones erant à maligno spiritu, quæ semper suis sequacibus adjuvantur: At benedictiones erant à Jesu, imo ipse est benedictio nostra, & cum benedictio sit à Jesu, ipse solum absque alicujus adjuvamine totum saluterum omnium benedictionum effectum præstat. D. Basilii in Catepa Græca: dicat aliquis, cur recitatis execrationibus adfirmatio; Diluit hanc dubitationem Apostolus dicens, Filius Dei non est etiam, & non sed in ipso est etiam, Omnes enim Dei promissiones in ipso sunt etiam Amen; ipse enim nimirum est, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali. In Filio Dei non est negatio benedictionis, sed affirmatio illius quam ipse præstat.

Act. 10. n. 39. Et nos testes sumus, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Num. 40. Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri. Num. 41. Nõ omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis qui manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis. Num. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex vivorum, & mortuorum. N. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum acci-

D. Basil. Christus per se solus nobis dat omnem beneficentiam, & benedictionem.

pere nomen ejus, omnes qui credunt in eum.

Versiones. CUM EXPOSITIONE IX.

Verf. 39. 40. & 41. Iam sunt explicati supra cap. 5. verf. 30. 31. & 32.

Verf. 42. Et præcepit nobis, ut habetur cap. 1. n. 8. Eritis mihi testes, &c. quia ipse est constitutus à Deo Iudex. Syriacus Eum esse qui definitus est Iudex Arabicus; Quem destinavit Iudicem. D. Epiphanius. Ut vivis & mortuis dominetur. Vi tunc morituri ut illico refurgant, mortui qui jam antecederent erant defuncti. Verf. 43. Huic omnes Prophetæ. Syriacus, De eo testati sunt omnes. Similem sententiam Petrus dixit supra cap. 3. verf. 18. 21. & 24. & Christus D. de se dixit, Joan. 5. n. 39. Scrutimini Scripturas, illa testimonium perhibent de me. Tertull. lib. de Trinit. c. 8. Tertull. ait: Deus Prophetas spiritu instruxit, & per hos omnes filium suum Christum reprovissit. Remissionem peccatorum accipere. Ad quod exhortatur Petrus cap. 2. n. 38. & cap. 5. n. 31. ut tanto bono proposito maxime promoveatur homines ad fidem Christi amplectendam, per nomen ejus. Arabic. Consequenter per nomen ejus expiationem peccatorum. Et Textus ait: Qui credunt in eum. Sed si Cornelius erat justus ad quid illi hæc exhortatio? quia ut dicitur Apoc. 22. n. 11. Qui justus est justificatur adhuc, & qui sanctus est sanctificatur adhuc; & quia, ut dicitur, septies in die cadit justus.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare dicitur Christus Iudex vivorum, & mortuorum?

Dicitur hic in presenti Christus, Constitutus Iudex vivorum, & mortuorum, juxta illud Joan. 5. n. 22. Pater non judicat quemquam sed omne iudicium dedit filio. Ubi non est sermo de Christo, ut filio Dei, quia sic cum eo judicat pater, seu loquitur secundum naturam humanam in Incarnatione, qua homo est; quia tunc visibili forma videndus est ab hominibus. Ita D. August. 1. de Trinit. cap. 13. Beda, & multi alii quos adduxi citato loco Joannis. Et quamvis Christus sit Iudex non solum in iudicio universali, sed etiam particulari, dum quilibet moritur, tamen hic est sermo de iudicio universali cum dicitur, Iudex vivorum & mortuorum. Glossa interlinealis, Beda favet Chryso. vivorum ac mortuorum scilicet peccatorum, ac damnatorum. Alius est sensus, & satis aptus, vivorum qui erant vivi immediate ante tempus iudicii, & sunt mortui mox resurrecturi, ac proinde fuerunt in quodam transitu de vita ad mortem, & de morte ad vitam, mortuorum, illorum nempe qui antecederent mortui fuerant. Cajetanus exilimavit, quod aliqui erant perseverantes in vita, & absque morte ad diem iudicii, cuius opinionem non approbo, cum Apostol. Hebræor. 9. n. 27. dicat. Statutum est hominibus semel mori, & David Psal. 88. n. 49. Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem, evas animam suam de manu inferi. Constitutus est Iudex vivorum, & mortuorum.

Math. 25. Congregantur ante eum omnes gentes, Matth. 25. n. 32. Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. Cor. 5. n. 10. Omnes stabimus ante Tribunal Christi, Roman. 14. n. 10. Ne faciat alicui difficultatem id quod dicitur, Psalm. 1. n. 5. Non resurgent impii in iudicio quia nihil prævalerunt ne effugiant damnationem, nec illud Joan. 3. n. 18. Qui non credit jam iudicatus est qui non credit fide nempe viva, de quo ibi est sermo, jam secum portat damnationis sententiam, ut ibi explicavit sicut ibi dicitur Qui credit; scilicet viva fide, in eum, non iudicatur, secum enim portat suæ salutis munimen, & non condemnabitur. De parvulis qui sine gratia cum peccato originali decedunt, an sint iudicandi dubitatur. Communis sententia Theologorum est affirmativa, de quo latè Suarez tom. 2. ad 3. part. disp. 57. sect. 6. & ad hoc potest adaptari illud: Kidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, Apocalyp. 20. n. 12. Et ratio est; quia Christus est omnium caput & isti subiecti sunt Christo, ipse pro omnibus natus est, & mortuus est, & ut explicat D. August. lib. 32. de libero arbitrio: Habebunt sententiam iudicis respectu eorum futuram in diem inter prævium & supplicium. Punientur poena damni, privatione nempe cælestis Beatitudinis ob peccatum originalem, non tamen poena sensus, quæ quidem responderet peccato actuali, quod parvuli non commiserunt.

QUÆSTIO XXIX.

Quarecum Christus dicitur Iudex constitutus statim subditur, ut per ipsum accipitur remissio peccatorum?

Quæstio dicitur hominum potestas à potestate Domini Jesu; Pilatus dicebat D. meo Iesu: Nequis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te, Joan. 19. n. 10. potestas illius prius erat ordinata ad faciendum malum, ac crucifigendum: At vero potestas D. Iesu ex sua infinita bonitate primo, & per se est ad benefaciendum, & ad dandam remissionem peccatorum supplicia vero, & penas homo per se convocat, & adducit, congregat super caput carbones igneos. Ad quæstionem dicitur Christus D. Constitutus Iudex ad dandam remissionem peccatorum prout recta iustitia postulat, juxta uniuscujusque dispositionem exquirat super quam divinus Iudex vigilat, ut cuncta ponderet, & metiatur apta, & directa virga sua, ait Jeremias cap. 1. n. 11. Virgam vigilansem ego video, Virga nota iudicii, ac potestatis, & hæc virga non est, ut sedeat, dormiat, ac quiescat, sed ut vigilet, Virga aquicatis Virga regni tui, et ut ipsa potestatis Virga universa metiatur, ne quid nimis in poena excedat. D. Hieronymus ad cap. 31. Ezechielis n. 4. ait: Vigilat virga cuncta peccata populi, considerans, ut percussat, & corripiat, ac sanet. Dicitur Thren. 2. n. 8. Cogitavit Dominus dissipare murum sibiæ Sion, tendit funiculum suum, ad destruendum tendit funiculum hoc maxime pertinet ad ædificandam, ac construendam machinam ad consideranda illius fundamenta, ac altitudinem, latitudinem, dispositionem, ac lapidum ordinem, ut facile inimicorum impetus invalidate possit, sed ad solo æquandam urbem apponit

funiculum, facta est iustitia Divina in poena inferenda, quod sine mensura inferre nescit. D. Paschas. lib. 2. ait: Tendit funiculum suum, quatenus secundum delictorum mensuram poena procedet ultionis. Considerans Job. 28. n. 25. Domini magnitudinem, ait: Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Cui consonat Isaias 40. num. 12. Qui mensus est pugillo aquas. Quid est, quod omnipotens Deus fidentes ventos per totum Orbem, & multitudinem aquarum, quæ inundant per totum Universum, ponat in mensura? Ad quid tendit hæc mensura? Ad quid hoc pondus? Fertilitas, ac sterilitas terræ, ut suos fructus in tempore convenienti proferat, vel denegat, totum provenit ex irrigatione aquarum, inde Omnipotens cas ponit in mensura secundum merita, vel demerita hominum, inde ad eorum opera Deus extendit, vel contrahit manum suam ad aquas sic & similiter Deus laxat, & cohibet ventos, aliquando ut suaviter recreent: Surge Aquilo, veni Auster, & fluent aromata illius, Cant. 4. n. 16. Aliquando in magna castigationem, & naufragium. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, Psalm. 47. n. 8. Unde tanta diversitas in ventis, & aquis ex justa mensura, ac recto pondere, prout hominum opera postulant, & exquirunt. D. Gregorius Nazianzen. oratione 36. Quis enim vel immodicam pluviam, vel pluvia retentionem ferret, nisi ille pluvia parens mensuris suis, & bilancibus omnia regeret.

Act. 10. n. 44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Num. 45. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cum Petro quia & in nationes gratia Spiritus sancti diffusa est. Num. 46. Audiebant enim illos loquentes in linguis, & magnificantes Deum. Num. 47. Tunc respondit Petrus. Nunquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur hi, qui acceperunt Spiritum sanctum, sicut & nos. Num. 48. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogaverunt eum, ut maneret apud illos aliquot diebus.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE X.

Verf. 44. Adhuc loquente Petro verba. Ostenditur efficacia ac vehementia verborum Petri. Cecidit Spiritus sanctus Syriacus. Spiritus sanctitatis operuit eos omnes. Arabicus: Descendit Spiritus sanctus. Vatablus: Illapsus est. Cajetanus: Ingruit, visibili nempe signo, ac specie, nempe linguis igneis incumbens capiti Cornelii, ac domesticorum ejus sicut in die Pentecostes super Apostolos, ut constat ex capite sequenti n. 15. ubi sic habetur: Cecidit Spiritus sanctus super omnes sicut & super nos in initio. Inepè ex hoc argumentantur hæretici, quod Cornelius accepit Spiritum sanctum ante Baptismum, ac proinde quod Baptismus non confert gratiam, sed quod sit signum illius. Futilis, & inutilis est hæc doctrina; quia quamvis isti, Z 4 non



non essent baptizati, tamen per contritionem, & Baptismum in voto erant iam iustificati, proindeque capaces donorum Spiritus Sancti. Et Deus hoc visibili signo voluit condecorare, ac nobilitare hos primos ex gentilibus, ut obmutescere faciat Judæorum ora murmurantium de Gentium admisione ad Ecclesiam.

234. Syriac. *Verf. 45. Obstupuerunt ex circumfisione fideles Syriacus: mirati sunt, & dicitur ex circumfisione fideles, nempe Judæi conversi qui in lege Moisaica fuerant educati, in qua ejus initium erat circumficio, ut in lege gratiæ Baptismus. Quia in nationes. Græce Gentes, seu gentiles, sibi persuadebant Judæi Christum, Christi que gratiam, ac fidem ejusque Ecclesiam Judæis solum fuisse promissam, in eisque concludendam, & gentes ab ea esse exclusas.*

235. Syriac. Arabic. Ethiop. *Verf. 46. Audiebant illos loquentes linguis. Syriacus: loquentes, unaque lingua. Arabicus: Linguas externas. Ethiopicus: Loquentes in sermonibus regionum. Datum fuit eis linguarum donum ut in omnium idioma Deo gratificarent donum acceptum fidei, & gratiæ divinæ, de quo participes facti sunt.*

236. Arabic. Pagnin. Tigrin. D. Chrysof. *Verf. 47. Nunquid aquam quis prohibere potest, Arabicus: Numquid veteri aquam Pagninus, Tygrina: Quominus aqua Baptizetur. Prohibebant, inquit D. Chrysofostomus, Judæi spiritu carnali ducti quia illud bonum tantum eis datum putant. Qui acceperunt spiritum, sicut & nos. Si enim Spiritus Sanctus dono visibili eos replevit, sicut, & nos, non debemus eos à suis donis excludere, ut baptizetur, & ita hac optima ratione temulentiam Judæorum sedavit.*

237. Syriac. *Verf. 48. Iussit eos baptizari in nomine Jesu Christi. Syriacus addit Domini nostri Jesu Christi: & dicitur iussit eos baptizare per ministros, quos habebat dispositos, & ordinatos in Joppen. In Martyrologio secunda die Februarii dicitur Cornelium baptizatum à D. Petro, quod fieri poterat ob personam valde magnam, & insignem, nam Apostoli non baptizabant, ut ait Paulus 1. Corinth. 7. num. 17. Non enim misit me Deus baptizare, sed evangelizare, de quo Acto 19. baptizabant Apostoli per ministros à se ordinatos. In nomine Domini Jesu Christi, de hac forma Baptismi jam dixi supra cap. 2. num. 8.*

238. Martyr. *Quo autem anno hæc Cornelii conversio contingerit, non exigua est controversia. In qua sunt octo vel novem sententiæ: probabilis videtur accidisse anno Christi 37. de hoc Cornelio sic habet Martyrologium Romanum 2. die Februarii. Casarea in Palestina S. Cornelii centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit, & apud præfatam urbem episcopi copali honore sublimavit. Hujus Cornelii vita habetur apud Surium ex metaphrasto 13. Septembris in qua Lörinus multa teneri apocripha dicit.*

QUESTIO XXX.

Quare Cornelius cum suis sociis primus ex gentilitate conversus tantis signis condecoratus?

239. *Communis vox Patrum, ac doctorum est Cornelium ex gentilitate fuisse conversum ad Christi fidem; nam vidimus alium centurionem Matthæi 8. Christum Dominum constituentem cuius fides multum laudatur, sicut & mulier Chananæa Matth. 15. & etiam Eunuchus supra cap. 8. num. 3. Statuimus ergo Cornelium primum fuisse*

Math. 15. Acto. 8.

baptizatum, ac conversum ex gentilitate, qui publice ac patenter est baptizatus, & primario, ac directe que sit, & venit ad Christum ad suscipiendam ejus fidem; nam ille alter Centurio primario & per se venit ad impetrandam pueri sui sanitatem sicut & Chananæa pro filii salute, ad Eunuchum Philippus venit, & in via tamquam in occulto est baptizatus; At vero Cornelius patenter ac publice cum tota familia sua quærit Petrum, ut illuminetur, suscipiarque Christi fidem

240. *Et valde festivo applausu, multaque solemnitate excipitur Corneli tota cum sua familia adveniens visibili signo Spiritus Sanctus infundens eis linguarum donum, ut in omnium linguis laudarent & glorificarent Deum.*

241. Galat. 4. *Defumens ex Isaiæ 54. num. 1. locum Paulus ad Galat. 4. num. 27. ait: Latere sterilis, qua non parit, erumpe, & clamor, qua non parit, quia multi filii deserti magis, quam ejus, qua habet virum. Per exultantem desertam intelligit gentilitatem, per eam qua habebat virum Synagoga. Isaias citato loco scribit, dicit Dominus, ut ita majorem suis dictis reconciliet autoritatem, quæ verba Paulus non apponit, quia notum experientia est, quantum messis Christiana in gentilitate cresceret, & augetur, quæ antea erat sterilis, & nullum parturiebatur, at sponsa Synagoga, ob malitiam suam sterilis facta est D. Hieronymus lib. 1. in epistol. ad Galatas cap. 4. ait: Non puto necesse de multitudine Christiana, & de Iudæorum paucitate dicam: cum in toto mundo Crucis vexilla resplendeant, & vix rarus atque notabilis in urbibus Iudæus apparet.*

242. *Multa lætitia, exultatione lætatur Gentilitas, cum jam Cornelius, & tota ejus familia promissa gratia iam veniunt ad Christi fidem, & cum honore, & lætitia excipiuntur, cum venit Divinus Spiritus linguis igneis ut dixi in expositione, infidens super eorum capita tamquam diademate eos coronans. Offerunt sua munera in Sacrificio Cain, & Abel, Abel de primogeniis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, Genes. 4. num. 4. Et unde deprehenditur quod dominus respexit ad Abel, & munera ejus: communis est solutio, ignito radio veniente super sacrificium, & cur tam grande miraculum ibi est fuerunt præmissa, quæ de melioribus, & de pinguioribus oblata sunt Deo, & ideo animos offerentis maxime fuit nobilitandus, ac condecorandus D. Chrysof. homil. 18. in Genes. ait: Ut per hoc offerentis animus maiorem honorem haberet.*

243. *Egressus Jacob de domo patris sui cum iter faceret in Mesopotamiam, venissetque ad quandam locum post solis occasum, & voluisset recumbere Tulit de lapidibus, quæ jacebant in illo loco, & supponens capiti suo dormienti. Genes. 28. numero. 15. & ut dicitur in lib. Rabbith. supposuit tres lapides, qui in unum sunt conversi, & multa luce radiabat, viditque Scalam, & Dominum Scalam in nixum, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam, qui proculdubio multa fulgurabant luce, in quo Sancti Patres, & Doctores multa, magna que mysteria scrutantur, ac venerantur. Unde Jacob tot, & tantis mysteriis illustratur, & ut lapides tres sub capite in unum coalescant in typum Sanctissimæ Trinitatis, nota quæ sequuntur: Surgens Jacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum de super vocit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, &c. Ibibem num. 20. quia, ut notat Philo. Lib. de somniis, D. Prosper de provid. Hic primus*

primus homo fuit, qui se Deo dedicavit, ac consecravit per totum, & qui in tam illustri facto singularique dei obsequio dedit lucem, primus Cælesti luce radiante fulget, ac nitet pleniusque tantis mysteriis illustratus resplendet.



CAPUT XI.

- 1. Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa: quoniam & gentes receperunt Verbum Dei.
2. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumfisione.
3. Dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis.
4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens.
5. Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in excessu mentis visionem; descendens vas quoddam velut linteam magnum quatuor initiis submitti de caelo, & venit usque ad me.
6. In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terra, & bestias, & reptilia, & volatilia Cæli.
7. Audivi autem, & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide & manduca.
8. Dixi autem: Nequaquam Domine, quia commune, aut immundum nunquam introivit in os meum.
9. Respondit autem vox secundo de Cælo: Quæ Deus mundavit tu ne commune dixeris.
10. Hoc autem factum est per ter, & recepta sunt omnia rursum in Cælum.
11. Et ecce viri tres confestim asciterunt in domo, in qua eram, missi à Casarea ad me.
12. Dixit autem spiritus mihi ut irem cum illis nihil hestans, venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri.
13. Narravit autem nobis quomodo vidisset Angelum in domo sua stantem, & dicentem sibi: Mitte in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.
14. Qui loquitur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua.
15. Cum autem cepissem loqui, cecidit Spiritus

Primus in voto multa luce fulget.

- Sanctus super eos, sicut & in nos in initio.
16. Recordatus sum autem Verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini Spiritu Sancto.
17. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum?
18. His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus penitentiam dedit Deus ad vitam.
19. Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, qua facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.
20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos annuntiantes Dominum Iesum.
21. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.
22. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis, & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.
23. Qui cum pervenisset, & vidisset gratiam Dei gavissus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.
24. Quia erat vir bonus & plenus Spiritu Sancto, & fide. Et apposta est multa turba Domini.
25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quaereret Saulum, quem cum invenisset perduxit Antiochiam.
26. Et a numerum totum conversati sunt ibi in Ecclesiâ, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochia discipuli, Christiani.
27. In his autem diebus supervenerunt ab Ierosolymis propheta Antiochiam.
28. Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.
29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus.
30. Quod & fecerunt, mittentes seniores per manus Barnabæ, & Sauli.

ARGUMENTUM.

UT Petrus Iudæorum murmur compesceret murmurantium quod recepisset ex gentilitate Cornelium cum tota sua familia, eis exponit visionem, quam habuerat de linteo, atque etiam de gestis cum Cornelio, & quomodo etiam in Syria fidelium excreveret multitudo: Unde in Antiochiam mittuntur Barnabas, & Saulus & in Antiochia fideles primo Christiani nominati sunt.

A primo versu usque ad 17. refert D. Petrus visionem de linteo, ac simul Cornelii conversionem, quæ quidem manent explicata in superiori capite.

Act. 11. n. 18. His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum dicentes: Ergo & gentibus penitentiam dedit Deus ad vitam.

Num. 19. Illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano perambulaverunt usque Phœnicem & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.
num. 20. Erant quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam loquebantur ad Græcos annuntiantes Dominum Iesum.